



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Christum, instar botri, in cruce compressum expressúmque suisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

CAPVT XXII.

*Electos DEI in torculari passionum cum
Christo premi atq; calcari oportere.*

Iuvabit & ista consideratio, ad fortem malorum, imo & placidam hilarémq; patientiam, Salvatoris exemplo condiscendam. Eaq; propter neq; præmittenda visa est, neq; indiligenter exponenda.

§. I.

*Christum instar botri in cruce compressum, expressumq;
fuisse.*

Circa quod imprimis considerabis, Christum Dominum ex Patrum mente, sub botri imagine in scripturis sanctis representari. Et sponsam quidem videmus in divino Cantico dilectum suum Botro Cypri in vineis Engaddi comparare. Quod tamen plerique Interpretes, non ad uvæ racemum, sed sive ad dactylos racematim è palma dependentes, sive etiam aliorum referunt. Cant. 1.

Communior autem est atque expressa Patrum traditio, Christum Dominum ex botro signari, qui Numerorum 13. de terra promissa ab exploratoribus delatus est. *Botrus siquidem in veste* (inquit Hugo de S. Victore) *Christus in cruce* L. 1. de Sacram. p. 10.
est. Et longè antea S. Paulinus, Christum dicit esse illum, *dulcem botrum, qui in crucis veste suspensus, de terra re-
missionis & fructum nobis ostendit, & gustum dedit.* Eleganter autem S. Augustinus: *Dilectus est, inquit, & Dominus bo-
trus uva, quem ligno suspensus de terra promissionis, tanquam
crucifixum attulerant.* Ep. 3. ad Ser.
Pulchrè enim iste S. Doctor, in illo In psal. 8.
veste cum uva ex eo dependente, crucis quandam speciem Serm. 18.
agnoscit. Cujus item rei allegoriam pluribus & scitè in larga
sermone quodam exponit B. Ambrosius, istud quod dicimus
veluti confessum supponens: *Nam botrus* (inquit) *in pba-*

D d d 2

langua suspensus, in cruce Christus appensus ostenditur. Quod de re plura Jacobus Pintus L. 1. de Christo crucifixo.

Secundo loco considerabis, divinum hunc botrum, et eorundem Sanctorum Patrum sententia, in crucis torculari pressum atque expressum fuisse; ut exinde nobis, non modo pretium redemptionis efflueret, sed etiam calix salutaris, præclarus atque inebrians, & sancti amoris ac lætitiæ mustum, redundaret. Nam uti præclare S. Augustinus:

In ps. 55.

Primus botrus in torculari pressus est Christus. Cum ille botrus in passione expressus est, manavit illud, unde calix inebrians, in passione expressus est, manavit illud, unde calix inebrians, quam præclarus est. Et alio in loco: Calicem salutaris (inquit) & vinum lætitiæ, de illa spiritali uva nobis primum crucis expressit. Quod etiam prius usurpârat Origenes; dum de

Serm. 100. de semp.

Tract. 35. in Matth.

Serm. cit.

Isai. 63.

Apoc. 19.

potu celesti, quem Christus propinat in Sacramento. loquens: *Est sanguis (ait) uve illius, qua missa in torcular pressoris, protulit potum hunc.* Quibus consonans S. Ambrosius de Sanctorum Martyrum inter tormenta fortitudine agens; ait id esse, *Vinum planè spirituale, de illa uva, qua pro salute omnium pependit in ligno, expressum.*

Nec refert, quòd ipse Redemptor dicatur hoc torcular calcâsse: unde etiam vestem habeat aspersam sanguine. Quia sicuti crux ipsa & vitis est, in qua ille pependit, & torcular in quo expressus est: ita ipse simul uva est, & calcator uvæ; quia sponte suâ sese subiecit illi pressuræ. Quemadmodum idem & sacerdos est & victima, in quantum oblatum est quia ipse voluit, & sic semetipsum in ara crucis immolavit.

§. 2.

Mira efficacia musti, de Crucifixi pralis exstantis.

Demum juvabit considerare sanguinis aut succi illius uvæ potentiam, & præclarum in sanctis animabus effectum: quæ scilicet hoc musto ebrîæ, seu ardenti Christi crucifixi amore correptæ, ita subinde videntur alienatæ sensibus